

Franckesche Stiftungen zu Halle

Programma De Fratribus Domini Kata Sarka, Ex Scriptura Et Antiquissimis Seculi II, Monumentis Christo Servatori Ipsis Nativitatis Eius Feriis Dicatum ...

Salthenius, Daniel

Regiomonti, [1741?]

VD18 1331209X

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-193159

IESUS CHRISTUS filius DEI in has venit terras, Cives: ut nostram susciperet culpam, & sanctitati divinæ satisfaciendo, ac pœnas peccati luendo, per mortem suam aboleret eum, qui mortis habebat imperium, hoc est diabolus; eosque liberaret, qui mortis metu per omnem vitam servituti erant obnoxii. Hanc ob causam illum humanæ carnis ac sanguinis, i. e. humanæ naturæ, participem fieri necesse fuit. Et quamvis eius susceptio humanæ naturæ nova prorsus Ier. XXXI, 22. & plane singularis, maximeque mirabilis esset: illa tamen nullo pacto obstitit, ut non æque humanæ carnis & sanguinis particeps, verusque homo factus sit, ac primi generis humani parentes, Adamus & Eva (a). Ideoque, cum & redemptor

(a) Hominem enim *quatuor* modis existere potuisse, ex historia sacra recte colligit ratio: nimirum aut ex *mari* tantum; aut ex *femina* sola; aut ex *mari & femina*; aut neque ex mari neque ex femina, sed *aliunde*. Primus homo non poterat suam neque mari, neque feminæ, existentiam debere, cum nulli adhuc existerent homines: itaque illum DEus *aliunde* formavit. Quæ hunc secuta est, Eva, non quidem ex femina, qualis adhuc nulla erat, sed tamen ex *mari* creari poterat: proinde non necesse fuit, illam aliunde formari; quin potius conveniens erat, ex homine iam existente eam creari, ut eiusdem humanæ carnis ac sanguinis particeps esset. Cum vero iam & mas & femina existerent, nova non opus fuit creatione amplius: siquidem ad primorum hominum perfectionem pertinebat, ut sic conditi essent, uti genus suum æque propagarent, ac cetera animantia cuncta, sui que similes generarent. Quotquot igitur post illos exstiterunt homines, a *mari & femina* nati, eiusdemque humanæ participes naturæ facti sunt. Et quoniam primi parentes, ambitione, cupiditatibus, delitiis, peccato, animum infecerant, suamque corruperant naturam: non poterant non etiam hoc pacto sui simillimos producere, nempe peccato

redemptor & redimendi omnes ab uno sint: non puduit eum *hominum*, quin pro ea, quam hunc in modum cum illis habuit, necessitudine & cognatione, *fratres* appellaret, eandem humanam naturam similiter, atque illi, participans, docente Apostolo Ebr. II, 11. 14. 15.

Quia vero ex regia Davidis stirpe, matre Maria virgine natus est: idcirco, qui in hac familia B. Virgini proximi erant, cum his propiori cognationis naturalis gradu coniunctum fuisse Dominum, quam ceteris, perspicuum est. Itaque eos non solum Iudæi, sed ipsi etiam N. F. Scriptores sacri, solemniter *Fratrum Christi* nomine frequentissime appellarunt.

A 2

At

peccato vitiatos & corruptos. Ast qui hominum redemptionem suscepit, Filius DEI, eiusdem quidem particeps naturæ, carnis ac sanguinis fieri omnino debuit: peccatum autem habere, neque ipse potuit, quæ sanctissimus DEI filius; neque debuit, cum pro peccatis aliorum satisfactorius esset. Quod idem præclare docuit Apostolus, Ebr. VII, 26. 27. Talis, inquit, nobis conveniebat pontifex sanctus, mali expers, intemeratus, a peccatoribus remotissimus, cælisque sublimior factus, qui non haberet quotidie necesse, sicuti pontifices (ceteri), prius pro suis peccatis victimas libare, deinde pro populi. Itaque non quidem aliunde, sed ex homine, neque tamen ex mari & femina, homo nasci debuit. Supererat quartus hominem producendi modus, novus quidem penitus nec unquam ante adhibitus; potentia vero divinæ æque facilis, ac priores iam commemorati; sapientiæ quoque convenientissimus: ut & femina, quæ partum peccati viperinum humanoque generi exitiosum prima ediderat, eidem quoque salutem pareret, ipsa huius beneficio *τεκνογονίας* per fidem servanda, 1 Tim. II, 14. 15. & alter sive novus Adamus, qui novam humano generi gratiam & felicitatem afferret, novum cor, nova denique cuncta faceret, Apoc. XXI, 5. nova nascendi ratione humanam susciperet naturam, adeoque ex *femina* sola, vel *virgine* nasceretur.

At quinam illi, & qua ratione consanguinei fuerint : hæc non modo a patribus olim anxie quæsitæ, sed hac recentiori quoque ætate, ab eruditissimis viris, sic in partes contrarias disputata sunt; ut quodnam a multis eligas commodissimum, & in quo tandem acquiescas, vix invenire queas. Etenim, ne quid de Antidicomarianitarum, & Helvidii errore dicamus (b) : alii existimarunt, illos fuisse filios Iosephi ex priori matrimonio; alii autem ex Maria Cleophræ natos; quam plerique B. Virginis sororem germanam; multi vero etiam affinem solum, quippe Alphæo Iosephi fratri nuptam, fuisse tradiderunt.

Tot sententiarum divortiis moti, cum *fratrum Domini* in sacris N. F. libris mentio sit frequentissima, ut ipsi colligere possent, Cives, in tot Scripturæ oraculis recte intelligendis, quænam interpretatio eligenda esset : vobis iam ante quadriennium, his ipsis nativitatis Domini nostri feriis (c) ex antiquissimis seculi II. scriptoribus, testes excitavimus,

- (b) De *Antidicomarianitis* vid. EPIPHANIUS Hæres. LXXVIII. ubi epistola satis prolixa, quam adversus eorum errorem ad orthodoxos in Arabia scripsit, exhibetur, Opp. To. I. p. 1034. 1057. *Helvidium* presbyterum Rom. Auxentii Arianæ discipulum, ex instituto refutavit HIERONYMUS Epist. LIII Opp. To. II. p. 7. sqq. In eodem vero errore versati quoque sunt, *Eunomius* Arianus, teste PHILOSTORGIO in Excerptis Historiæ Ecclesiast. a Photio collectis, L. VI. c. 2. confer. IAC. BASNAGII Animadversiones in Eunomium, huius confessioni fidei præmissæ, in HENR. CANISII Thesauro monumentorum ecclesiast. Vol. I. p. 174. edit. Amstelæd. 1725. & *Manichæorum* quidam, narrante PHOTIO contra Manichæos L. I. c. 7. in IO. CHRISTOPH. WOLFI Anecdotis Græcis To. I. p. 22. nec non *Bonosus* & *Bonosiaci* Photiniantes, de quibus confer. DION. PETAVIVS in Dogmatibus Theolog. To. VI. L. XIV. c. 3. p. 219. edit. Antwerp. 1700.
- (c) In programme, de *Fratribus Christi natæ œdææ ex S. Scriptura*

citavimus, qui B. Virginem Mariam *duas* habuisse *sorores* memorant: *Salomen* nuptam Zebedæo, Iacobi maioris & Ioannis Evangelistæ matrem; atque *Mariam Cleopha* sive Alphæi uxorem, Iacobi minoris, Iosæ, Iudæ ac Simonis matrem; porro hunc *Cleopham* fratrem fuisse Iosephi, qui parens Christi putabatur. Idem ex historia sacra nunc confirmabimus.

Vocem *fratris*, ut apud alias gentes, sic ab Hebræis quoque variis modis usurpatam esse, iam dudum recte observavit HIERONYMUS (d): quippe qui non modo ab iisdem parentibus susceptos, aut eodem natos patre, vel eadem matre, *fratres* appellabant; sed omnes etiam, qui propinqua consanguinitatis cognatione iuncti erant; ut ceteras vocis significationes nunc missas faciamus. Sic Abrahamus Lotum *fratris filium* Gen. XIII, 8. c. XIV, 14. Labanus Iacobum *sororis filium* Gen XXIX, 15. *fratres* appellarunt: sic Tobias Saram, *cognatam* suam, *sororem* vocavit cap. VIII, 9. (e)

Quamvis igitur municipes Nazaretani, *Iacobum*, *Iosephum*,

A 3

sen,

plura & antiquissimis I. & II. seculi monumentis, anno 1737. edito: ubi, inter alia veterum testimonia, produximus PAPIÆ, Ioannis discipuli, fragmentum insigne, (si modo eius est, quod utique ex illius libris depromptum esse existimavit vir in hoc literarum genere exercitatissimus, IO. ERN. GRABIUS, qui primus istud ex codice Msc. bibliothecæ Bodleianæ edidit, in Spicilegio Patrum seculi II. To. I. p. 35.) & HEGESIPPI fragmenta plura ab Eusebio servata; eademque a doctissimorum virorum, in primis Ios. Scaligeri & Sam. Basnagii argumentis in contrarium adductis vindicavimus.

(d) Epistola LIII. contra Helvidium differens, Opp. To. II, p. 11. sqq.

(e) Cuius ex græco libri textu longe plura adferri possent exempla, in Vulgata & Germanicis versionibus omissa, v. g. cap. V, 15. 16. 18. 21. cap. VIII, 4. &c.

sen, Iudam & Simonem, Christi fratres appellarint, Matth. XIII, 55. Marc. VI, 3. ipsique N. F. scriptores sacri eodem deinde sæpius nomine usi sint: ex eo tamen, ut nulla ratione colligi potest, istos forsitan filios Iosephi esse, post natiuitatem Seruatoris, ex connubio B. Virginis natos (f); sic nec illud efficitur, ex priori Iosephi dudum mortua coniuge susceptos fuisse (g). Nunquam enim in historia S. filii Iosephi, aut filii B. Virginis, ne quidem in hisce allatis locis, vocantur: at semper fratres Domini nuncupantur. Proinde hoc solum efficitur, idque ordo ac finis sermonis postulat: vocem fratrum in locis allatis, non quidem debere (ut alias sæpe, e. g. Leu. XIX, 17. c. XXV, 14. 35. Deut. XV, 3. Matth. XVIII, 15. &c.) generatim de Iudæis cunctis, velut eiusdem nationis hominibus; neque de civibus & vicinis (confer. Gen. XIX, 7.) explicari: sed pro more gentis intelligendos esse cognatos, inprimisque eos, qui Christo propiores erant, quam ceteri.

Iam, quænam fuerit cognatio hæc, videbimus. Iacobum fratrem Domini ex numero XII. Apostolorum fuisse, docet

(f) Fuit hæc Helvidii olim aliorumque supra nota (b) nominatorum error, qui cum dudum ab ecclesia Christiana proscriptus, & satis superque ab HIERONYMO l. c. refutatus sit: nihil nunc addimus amplius; nisi, quod omnino dignum notatu, istos homines cunctos ex Arianorum, aut aliorum de divina Christi natura male sentientium, scholis prodiisse.

(g) Eadem enim utrobique est argumentandi ratio; proinde si illa Helvidii valere nequit, neque hæc valere poterit: si vero hæc valebit; quid, quæsumus, ad illam respondebitur? Quod si diligentius considerassent illi, qui omnem moverunt lapidem, ut opinionem de fratribus Christi e Iosepho natis probabilem redderent; multa sane omisissent, quæ causam eorum minus iuvant, prætereaque ita comparata sunt, ut æque ab Antidicemarianis, quam ab ipsis adhiberi queant.

docet Paulus Gal. I, 19. coll. c. II, 9. 1 Cor. XV, 5. & 7. (h)
Quia vero inter Apostolos non nisi duo hoc nomine nuncupati sunt, alter Zebedæi, alter Alphæi filius; filios autem Zebedæi nunquam fratres Christi appellatos esse legimus: sequitur Iacobum Alphæi filium fuisse fratrem Domini.

(h) Quid enim apertius dici potest his D. Pauli verbis Gal I, 19. *Alium vero Apostolorum (i. e. ex Apostolis) non vidi, nisi Iacobum fratrem Domini?* Et ne quis exceptioni locus esset, quasi Iacobus frater Domini non in numerum τῶν δώδεκα, sed Apostolorum inferioris cuiusdam ordinis adscriptus fuisset: eundem cap. II, 9. in numero illorum, qui, Hierosolymis tunc præsentibus, columna æstimabantur, & quidem primo posuit loco, additis Petro & Ioanne, quos ex ordine τῶν δώδεκα fuisse nemo poterit negare. Neque opinioni contrariæ favet Apostolus 1 Cor. XV, 7. quod quidem qua ratione asserere potuerit vir doctissimus HENR. VALESIUS in Annotat. ad Eusebii L. I. c. XII. p. 18. miramur: Certe, inquit, huic opinioni favere videtur Paulus in Epist. ad Corinth. ubi recensens eos, quibus Christus post mortem apparuerat, postquam XII. Apostolos nominavit, & quingentos alios; addit deinde: postea visus est Iacoco & reliquis Apostolis. Iacobum ergo Paulus distinxit a XII. Apostolis. Atque ita CYRILLUS Hierosol. in Catechesi 4. & 14. locum Pauli intellexit. Verba Pauli demonstrantis Christum vere revixisse, quoniam deinde multis apparuit, idque sæpius, sic habent: v. 5. *Et quod apparuerit Cepha: postea τοῖς δώδεκα.* v. 7. *Deinde apparuerit Iacobo: deinde Apostolis omnibus.* Proinde, si Iacobum Paulus v. 7. distinxit a XII. Apostolis; omnino etiam Petrum v. 5. ab illis XII. distinxit: sed posterius falsum esse iudicabunt omnes, ipseque Valesius; E. illum concedere oportet, nec prius sequi. Nimirum neque Petrum, neque Iacobum ab ordine Apostolorum excludere, Paulo propositum fuit: sed modo distincte tradere, quoties ac quibus Dominus apparuisset. De CYRILLO Hierosol. hæc Apostoli verba proferente in Catech. XIV. p. 152. idem dicendum est. Alter eius locus Catech. IV. p. 34. sic habet: *Animum tuum obfirma, ne quid unquam edas eorum, quæ sint idolis oblata.*
Nam

mini. Iacobo huic primas deferri eatenus observamus,
ut non solum Domini frater sæpius nuncupetur, sed etiam
primo semper loco ponatur; tum Ioses, deinde Iudas, po-
stremo

*Nam de his non mihi solum (huius nunc loci episcopo): αὐτὸς ἤδη καὶ τοῖς ἀποστόλοις, καὶ Ἰακώβῳ τῷ ταύτης τῆς ἐκκλησίας ἐπι-
σκόπῳ σπᾶδὴ γέγονε.* Quis vero ex his verbis colligeret,
Cyrillum removisse Iacobum ab ordine τῶν δώδεκα? Proinde
ad ea recte respondit TILLEMONT Memor. Hist. Eccles.
To I. p. 1121. *Je ne sçay pas quelle difficulté l'on trouve dans
ces paroles; & il me semble, que l'homme le plus persuadé de
de l'apostolat de Saint Iacque, devoit naturellement s'en servir.*
Ceterum longe plura veterum, v. g. Hegesippi, Eusebii, Epi-
phanii, Gregorii Nysseni, Chrysostomi, Bedæ, & his recentio-
rum, loca magno studio conquesta Baronio opposuit vir do-
ctus FRANC. COMBESIS in Novo Auctario Bibliothecæ
Patrum Vol. II. p. 840. sqq. quibus, ab Apostolo Iacobo Al-
phæi filio, distingui Iacobum fratrem Domini, velut tertium
huius nominis, adeoque a numero XII. Apostolorum excludi
putat. Ea vero nunc examinare nostri non est instituti; alio-
quin nullo negotio ostenderemus: *Epiphaniū & Nyssenum* ista
sua ex impuris apocryphorum hausisse rivulis; *Hegesippi* vero,
Eusebii, *Chrysostomi* & *Bede* loca, in hanc quæstionem non ma-
gis convenire, quam supra memorata Cyrilli. Etenim quod
ad EVSEBIUM Hist. Eccles. L. I. c. XII. attinet, unicus mo-
do codex interpolatus cum Combessio facit; alii vero quatuor
codices, una cum antiquissima latina versione RUFINI, eius
opinionem plane non favent; quod ipse VALESIIUS in Annotat.
ad h. l. pro suo candore fatetur. CHRYSOSTOMI verba
dubiasunt; præsertim cum idem in Act. XII, 2. Homil. XXVI.
p. 242. non tres, sed duos tantum Iacobos agnoverit; alterum
Ioannis fratrem, alterum fratrem Domini: *Quoniam vero, in-
quit, & alius Iacobus erat, frater Domini; propter hoc desi-
gnavit, dicens, fratrem Ioannis.* At BEDAM qui potuit
vir doctus testem citare, cum idem prorsus contra eum faciat?
v. g. in Act. I, 13. *Putant, inquit, quidam duos fuisse Aposto-
los Iacobi vocabulo nuncupatos, Iacobum videlicet Zebedæi, &
Iacobum*

stremo Simon, Matth. XIII, 55. Marc. VI, 3. confer. Matth. X, 3. 4. Mar. III, 18: proinde illum maxime natu fuisse, Ioseph ei proximum, Simonem vero minimum, recte atque ordine concludimus. Habemus igitur *fratres Domini*, non Iosephi filios, sed *Alphæo natos*. Neque nobis adversantur HEGESIPPUS, EUSEBIUS, aliique veteres, Simonem *filium Cleopæ* nuncupantes: cum idem sit *Alphæi* nomen & *Cleopha* (i).

B

Qua-

Iacobum Alphæi; tertium vero Iacobum fratrem Domini, non Apostolum, sed episcopum fuisse Hierosolymorum. Quod nequam verum est, sed iuxta Evangeliorum fidem eundem Iacobum filium Alphæi Apostolum præfuisse Hierosolymis sciendum est, qui frater Domini dictus est, eo quod fuerit Maria matertera Domini filius. Idque deinde variis ex historia S. sumtis rationibus confirmat. Confer. idem in Matth. X, 3. & Mar. XV, 30. Proinde si ex rationibus hæc res iudicanda est, sine dubio vicinus: si præterea auctoritate certandum est; adversariis testes perpauci, iique minus idonei supersunt. Sed & nobis testes sunt: CLEMENS Alexandrinus apud Eusebium L. II. c. I. p. 30. *Δύο δὲ γυνάσιν Ἰακώβοι, inquit, alter cognomento Iustus, - - alter qui capite truncatus est.* HIERONYMUS contra Helvidium; *Auctor Operis imperfecti* in Matth. XXII, 6. Homil. XLI. p. 113. inter Chrysostomi opera; ISIDORUS Hispalensis Origin. L. VII. c. 9. p. 62. ELIAS Cretensis Comment. in Gregorii Naz. Orat. III. p. 313. ne quid de Martyrologiis, & sequentis ætatis scriptoribus dicamus.

(i) *Αλφαιος* Syrus interpres, quoties eius in N. F. mentio fit, *חלפאי* nominavit, atque hac ratione docuit, unde nomen illud formatum sit, & quomodo Iudæi, dialecto Chaldæo Syriaca tum utentes, istud scripserint ac pronunciaverint. At Græci, quibus pronunciatio primæ literæ gutturalis difficilior erat, vel pro ea substituentes *τοκ*, lingua sua *κλεοπαν* sive *κλωπαν* nuncuparunt: velegendam in *α* mutantes, adiecta terminatione *ος* sibi usitatissima, *αλφαιος* pronunciarunt. Sic 2 Reg. XV 1, 6. pro *חלפאי* & *חבר* in LXX. reperimus *Αλλαι* & *Αβω*, sic *חגי* Chaggai 1, 1. illis dicitur *Αγγαιος*. Proinde unum atque idem nomen est Hebræum a rad. *חלף* formatum, quod Græci lin-

gua

Quapropter nunc *matrem* anquiremus : illam vero nobis iidem Evangelistæ aperte indicant, stantem, una cum Maria Magdalena & Salome, ad crucem Domini; eandemque etiam a ceteris eiusdem nominis accurate cogitateque distinguunt, *Mariam Iacobi & Iose matrem* (k) sumto videlicet a primum genitis cognomine, appellantes Matth. XXVII, 56. Mar. XV, 40. (l). Quæ loca si porro cum Ioh.

gua sua modo *Αλφαιον*, modo *Κλεοπαν* nuncuparunt. Consentiant nobiscum viri docti, LUD. CAPELLUS in Spicilegio ad Marc. VI, 3. IO. LIGHTFOOT in Matth. X, 3. & Ioh. XIX, 25. Opp. To. II. p. 313. & 674. observans, nomen *Ἐλμ* etiam apud Talmudicos frequenter occurrere, flexile in duplicem pronunciationem, nempe ut vel *Alphai* sonet, vel *Cleophi*; FRANC. BURMANNUS Exercitatt. Acad. Parte II. p. 151. SAL. van TIL in Opere Analytico To. II. p. 691. HERM. WITSIUS Comment. in epist. Iudæ, in Meletem. Leidens. p. 455. MATTH. HILLERUS in Onomastico S. p. 742. CHRIST. SCHOETTGENIUS in Lexic. Pasoris, vocibus *Αλφαιος* & *Κλεοπας*; CHRIST. STOCKIUS in Clavi Linguae S. N. T. p. 73.

(k) Eadem *Maria* modo mater *Iacobi* Mar. XVI. 1. modo *Iose* tantum dicitur cap. XV, 47. Quemadmodum autem inde colligi non potest, illam solius Iacobi, aut solius Iose matrem fuisse: ita quoque ex altero isto matris Iacobi & Iose cognomine non sequitur, hos solos ex ea natos esse, non vero Iudam & Simonem; denominatio enim a primum genitis facta est. Adhuc HEGESIPPUS aliique veteres testantur, *Simonem*, qui minimus natu erat, *filium Cleopha* fuisse: Cleopha vero nupta fuit Maria, B. Virginis soror.

(l) Quapropter opinione longe falli oportet eos, qui fratres Domini filios Iosephi ex priori matrimonio fuisse contendunt. Cum enim mater eorum Christo moriente adhuc in vivis esset: aut sine ratione, sine ulla cuiusquam testis auctoritate & verisimilitudine dicendum, Iosephum cum hac uxore, quæ quatuor ei filios pepererat, divortium ante fecisse, quam B. Virginem sibi desponderet; aut pari audacia fingendum, ambas illum pariter habuisse uxores; aut denique fatendum est, hanc Mariam alii nuptam fuisse marito, qui supra memoratos ex ea suscepit

Ioh. XIX, 25. recte comparamus, intelligimus hanc Mariam fuisse *Sororem b. Virginis*, nuptam *Cleophae*, i. e. *Alphae*: proinde filii eius fuerunt *consobrini Domini*.

Sed quia toties a Talmudicis doctoribus repetitum est: *familiam seu cognationem maternam minime appellari familiam, cum familia sequantur patres (m)*: idcirco paterna cognatio amplius investiganda est; eamque nobis apposite indicavit scriptor vetustissimus, vicinus Apostolicorum temporum, atque Polycarpo coævus, HEGESIPPUS, & ex illo EUSEBIUS, qui *Cleopham fratrem fuisse Iosephi* testatur (n). Quoniam igitur Iudæi credebant Iosephum Christi

scepit filios, Iacobum, Iosen, Iudam & Simonem. Huius argumenti vim iam dudum senserunt opinionis istius patroni: proinde, ut ab his caverent scopulis, aliud invenerunt commentum, *Mariam Iacobi & Iose matrem ipsam b. Virginem* esse fingentes; ab Evangelistis in ll. cc. forte sic cognominatam, quoniam Iacobi & ceterorum noverca erat. Nec miramur veterum quosdam eo confugisse, quibus traditio apocrypha persuaserat, fratres Christi Iosepho natos esse: quales sunt, GREGORIUS Nyssenus Orat. II. in Christi resurrectione. Opp. To. III. p. 412. sq. VICTOR Antiochenus in Catena Græc. Patrum a Pet. Possino Romæ 1673. edita, ad Marc. XV, 40. p. 354. sqq. THEOPHYLACTVS in Matth. XXVII, 56. & 61. p. 178. sqq. & Marc. XV, 40. p. 286. fortassis & CHRYSOSTOMUS in Matth. XXVII, 56. Homil. 89. p. 913. licet alias ista opinio ei minus conveniat. Magis miramur, doctissimis hac recentiori ætati viris, GER. IO. VOSSIO Dissert. de genere Christi cap. VI. Opp. Theolog. p. 64. GUIL. CAVEO in vita Iacobi min. §. 2. Antiquit. Apostolic. p. 581. sq. SAM. BASNAGIO Annal. Polit. Ecclesiast. To. I. p. 95. sq. §. 29. adeo inconcinnas placuisse ambages.

(m) Observante eruditissimo IO. SELDENO, de Successionibus ad leges Hebræorum cap. XII. p. 43.

(n) EUSEBIUS Histor. Ecclesiast. L. III. c. XI. p. 69. τὸν γὰρ ὁ κλωπᾶν ἀδελφὸν τῷ Ἰωσήφ ὑπάρχειν ἠγασίην ἡ ἰσοεῖα. Inde EPIPHANIUS Hæresi LXXVIII. Antidicomarian. num. 7. p. 1039. οὗτος μὲν γὰρ ὁ Ἰωσήφ ἀδελφὸς γίνεσθαι τῷ κλωπᾶ. CHRY.

sti patrem esse; Iosephi vero frater Cleophas fuit: ideo huius Cleophae sive Alphæi filios, Iacobum, Iosen, Iudam & Simonem, fratres Christi appellabant.

Quæ cum adeo expedita & historice S. convenientia sint, ut vix quidquam in illis reperiatur, quod ex allatis S. Scripturæ dictis non sequatur: mirabimini, Cives, unde altera illa, de fratribus Domini Iosepho natis, opinio orta sit, & qua ratione tantas nancisci vires potuerit, ut non solum plerique ecclesiæ Græcæ doctores eandem haud inviti acceperint, sed quidam etiam nostra ætate viri doctissimi, patrum auctoritate ducti, multam in illa tuenda operam collocaverint. Erit fortasse alias de his differendi occasio: nunc, quid vos deceat per hos dies festos ac per totam deinde vitam cogitare, quid agere oporteat, nobiscum considerate.

IESUS CHRISTUS, ut vestram in se culpam susciperet, vosque ipsos vestrumque immortalem spiritum & corporis membra ab omni malo liberaret; quod alia ratione id fieri non potuit, vestræ particeps naturæ & FRATER vester factus est: ideoque vestri non estis, sed DEI atque CHRISTI. An igitur Christi membra toleretis, & peccati membra faceretis? Vosmetipsos & vestram testamur conscientiam: ubi lites, duella, aliaque hominum pravis cupiditatibus obsequentium opera regnant; num istos, qui eiusmodi facinora in se admittunt, *fratres* CHRISTI, an diaboli potius mancipia esse dicetis? Aut quid de his iudicabitis: qui adeo se ab omni religione remotos esse ostendunt, ut, ubi alii rebus Divinis operam dant, hi, in eorum conspectu, sacra omnia, petulanti loquacitate, fastisque turbulentis, execrabili audacia profanare non erubescant? Num *Christianorum* nomine appellandos esse putabitis, qui ne quidem in sacro cultu publico illum DEO atque CHRISTO honorem tribuunt, quem gentes barbaras & sordidissimas suis deferre idolis certissimum est? An *homines* nuncupabitis: qui adeo se humanitatem exuisse, & rectæ rationis usum carere demonstrant? Proinde agite, o nostri, DEUM O. M. & IESUM CHRISTUM Servatorem Fratremque vestrum, vestris & corporibus & animis sic honorate; ut pateat vos didicisse: quanto emti pretio 1 Cor. VI, 19. 20. quanta consanguinitatis cognatione iuncti sitis, & quid vos, ut *homines*, ut *Christianos*, denique ut CHRISTI

Fratres, deceat

CHRYSTOSTOMUS in Matth. XIII, 55. BEDA in Act. I, 13. Opp. To. V. p. 628. sqq. THEOPHYLACTUS in Matth. XIII, 55. p. 79. & Ioh. XIX, 25. p. 826.